



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

15 Gregorius XIV. super abducendis, vel extrahendis delinquentibus ab  
Ecclesia indulta aliàs concessa reduxit, & moderatus fuit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

causas, ubi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur, in ecclesiis, vel cœmeteriis agitare non possunt, sub excommunicationis pœna, quia absurdum est, & crudele ibi iudicium sanguinis exercere, ubi est tutela refugii constituta, *cap. cum ecclesia, de immunit. eccles.*

Propter reverentiam loci in ecclesia <sup>14</sup> causæ seculares tractari non possunt, *c. 1. eod. tit. in 6. gloss. in d. cap. cum ecclesia, & d. cap. decet, vers. cessent in ecclesiis, eod. tit. in 6.*

<sup>10</sup> † Unde processus iudicum secularium, ac specialiter prolatae sententiæ in ecclesiis, & cœmeteriis sunt ipso iure nullæ, *d. cap. decet, §. ordinariis, vers. & nihilominus, & Abb. in d. cap. cum ecclesia, num. 2. & num. 8.*

Qui verò timorem Dei, vel reverentiam sanctarum ecclesiarum non habet, & fugientem servum proprium, vel, quem ipse <sup>11</sup> persecutus fuerit, † de atrio ecclesiæ, vel de porticibus ecclesiæ, aut illis quolibet modo adhærentem per vim abstraxerit, publica pœnitentia iudicio Episcopi est mulctandus, *cap. si quis consumax, 16. quest. 4. & parietibus ecclesiarum, & aliorum locorum immunitum adherentes, † eodem privilegio gaudent, ut ibi gloss. in ver. adherentibus, & ecclesiæ immunitatem violantes, per vim aliquem de ecclesia rapientes, excommunicari, & condemnari pecunialiter, ac ipsis publice pœnitentia imponi debet, † nec communioni sunt restituendi, nisi restituto eo, quem de ecclesia violenter extraxerunt, cap. miror, & cap. frater, d. quest. 4. Abb. in cap. inter alia, num. 26. & in cap. ecclési, num. 11. de immunit. Eccles.*

<sup>12</sup> Reos criminis ad ecclesiam confugient-

tes nemo abstrahere, neque inde dantur dare debet ad pœnam, vel ad mortem, ut honor ecclesiarum conservetur, sed ecclesiarum rectores pacem eorum, & vitam ac membra studere debent obtinere, & legitimè componere, quod rei iniique fecerunt, *cap. reum, ead. quest. 4.*

<sup>14</sup> Quæritur, † an palatium Episcopi eadem gaudeat immunitate, & post Innoc. in *cap. inter. versiculo item idem, de immunit. Eccles.* tenet Abb. quòd sic, etiã quòd palatium Episcopi sit extra 40. passus, *in d. cap. Ecclesia, num. 9. vers. tu verò vide, eod. tit. per gloss. 1. in cap. id constituimus, 17. quest. 4. & est communis opinio, de qua testatur Covarr. d. cap. 20. num. 5. vers. quinto insertur, lib. 2. var. resolut. quem, & alios plures citat. Borrel. cent. 1. Conf. 2. num. 23. verum quia Pius Papa V. & Sixtus etiã V. sancto zelo ducti, diversas facultates, & indulta extrahendi etiã in casibus quibusdam à jure non permissis, ab Ecclesiis criminosos, & delinquentes quam pluribus sæcularibus Principibus, eorumque curiis, & magistratibus sub variis modis, & formis concesserant, experientia postmodum docuit, magistratus illa diversimoda etiã latius, quam par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuisse, illisque abuti cœpisse, & ideo subortum fuisse non mediocri in aliquibus locis libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium locorum, & personarum divino cultui dicatarum contemptum, & divinæ majestatis offensam, ac scandalum plurimorum. Quapropter Gregorius Papa XIV. ut prædictis abutibus, & scandalis obviaret, sua perpetua <sup>15</sup> valitura constitutione, † omnia, & quæcunque*



cunque privilegia, & indulta, & gratias per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores suos, & ipsummet, ac Sedem Apostolicam, ejusque Legatos super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, monasteriis, sacellis, domibus secularibus, & regularibus, locisque sacris, ut religiosis, aliasque in casibus à jure permissis, hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoctorum, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono pacis, & quiete publica, & ex causis urgentissimis, ac necessariis, & æquipollentibus casibus in jure expressis, atque ex paritate, indentitate, aut majoritate rationis extensis, perpetuò, vel ad certum nondum elapsum tempus, seu ad vitam alicujus Principis, aut beneplacitum, seu alias quomodolibet concessa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usu recepta, litterasque Apostolicas sub plumbo, aut in forma Brevis, seu alias quomodocunque desuper confectas, quarum tenores haberi voluit pro expressis, ac ad verbum insertis, ita reduxit, & moderatus fuit, ut laicis ad  
 16 Ecclesias, † locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, qui ve homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non verentur, aut, qui proditoriè proximum suum occiderit, aut assassini, vel hæresis, aut lætæ majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immu-

nitas ecclesiastica non suffragetur, sed universis Prælati, tam secularibus, quam cujusvis ordinis regularibus mandavit, & præcepit, ut laicos in casibus præmissis delinquentes, ad eorum ecclesias, monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu religiosa respectively confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve aliquid judicio suo commississe videbuntur, quando à curia seculari fuerint requisiti, ministris, & officialibus curiæ secularis absque irregularitatis nota, aut alicujus censuræ ecclesiasticæ incursum tradi, & consignari faciant. Sed, ne cura secularis, illiusque ministri, facultate illos per se, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi sibi olim attributa, & per eundem Gregorium, ut supra revocata abutantur, voluit, & auctoritate Apostolica decrevit, & declaravit, ut curia secularis, ejusque judices, & officiales ab ecclesiis, monasteriis, locisque sacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis capere, extrahere, aut incarceratione possint sine expressa licentia Episcopi, † vel ejus officialis, & cum interventu personæ ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiam si alias Ordinarii sint, aut nullius diocesis, aut conservatores à sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati prædictam licentiam dandi facultas pertineat.

Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diocesis, tunc ad Episcopum viciniorem hæc cognitio, & non ad alios devolvitur. Casu autem quo  
 Episco-